


Nr. 16.





OBSERVATIONES THEOLOGICAE  
*Z*  
IMAGINE DEI  
*H*  
DE  
PER  
CHRISTVM  
RESTITVTA,  
*QVAS*  
METHODO NATVRALI  
EXHIBET  
DANIEL GOTTLIEB KRÜGER,  
TEMPLINO VKROMARCH.  
PH. ET SS. THEOL. C.

EPISTOLAREM DISSERTATIONEM GRATVLATORIAM  
DE  
NATVRALISTARVM  
IN HAC DOCTRINA  
ERRORE  
ADIECIT  
IOAN. GVILIELM LANGE,  
*g.*  
LIPPSTADIENS.  
PHIL. ET SS. THEOL. C. ET SOCIETATI LATINAÉ,  
QVAE IENAE FLORET, ADSCRIPTVS.

HALAE MAGDER.  
LITTERIS HENDELIANIS.  
MDCCXXXVI

V I R O  
S V M M E R E V E R E N D O  
A M P L I S S I M O D O C T I S -  
S I M O Q V E

H E N R I C O  
K R V G E R O

I N S P E C T O R I E T P A S T O R I  
E C C L E S I A E Q V A E T E M P L I N I C O L L I G I T V R  
V I C I N A R V M Q V E E C C L E S I A R V M

L O N G E M E R I T I S S I M O F I D E L I S S I M O G R A V I S S I M O

P A R E N T I O P T I M O

O M N I Q V E P I E T A T I S O B S E Q V I I E T O B S E R V A N T I A E  
C V L T V A E T A T E M V E N E R A N D O

H A S C E O B S E R V A T I O N E S

D E M I S S A A N M I R E L I G I O N E  
O F F E R T D E D I C A T C O N S E C R A T

O B E D I E N T I S S I M V S F I L I V S  
D A N I E L G O T T L I E B K R V G E R

VIR SVMME REVERENDE,  
PARENS SVMMA PIETATE AETATEM  
VENERANDE.

**H**Odiernus dies, qui exoritur, suauissimus omnium a me salutatur, quod mihi exoptatissimam praebet occasionem, **TIBI** meam pietatem summamque venerationem publice declarandi. Licet quidem auderem viribus meis maiora, si **TVA** in me collata beneficia officiis vellem remunerare perfectissimis: attamen vero, qui ex omni memoria, quia imperfecto tantum modo ea posset praestare, officia euelleret, in gratius omnino esset homo. His pro certis positis certissimam habes rationem, cur hasce in cultas ac fortis tenuissimae paginas Nomini TWO esse inscribendas putauerim, **VIR MAXIME REVERENDE!** Testes enim sunt bonæ educationis ac institutionis: testes venerationis exhibendae: clarissima naturalis amoris pignora & debita denique grati animi monumenta. Quis ignorat rationes, quas **TE** colendi, oblectandi, diligendi atque amandi habeo? Aetatem **VENERANDE PARENS!** Num est in minimis ponendum, **TE** me ingenue educasse educatum quoque tantis cumulasse beneficiis, quae & enarrari & rependi a

me umquam nequeunt? Quid? quod multa possem in medium proferre, quae his maiora & splendidiora viderentur. Praetereo beneficiorum copiam a primis, ut Graeci dicunt, vnguiculis & in Scholis & Gymnasio & Academiis cumulatissime in sinum meum effusam. Praetereo beneficia, quae ad hunc usque diem me delectant gratumque meum animum ita vincunt, ut si mihi facultas fingendi daretur, certe patrem te haud possem fingere meliorem praestantioremque. Scio autem tibi esse tam gratum, quam quod gratissimum, si in tuis vestigiis insistens animum meum ad scientiarum cognitionem confero optimumque studium sanctiori disciplinae consecro, ut, me tuum esse filium, negare haud possis. Accipias igitur, quantum in me situm, abs te peto, VIR MAXIME REVERENDE! hasce studiorum meorum Academicorum primitias serena atque hilari, ut soles, fronte. Ceterum nihil magis precor, quam ut Deus Optimus Maximus te pro sua infinita potentia ac benignitate tegat, morbos propulset, saluum ac diu superstitem esse iubeat, vitam tuam multis laetitiis augeat, auctam vero Nestoreis annis coronet, quo mihi & in posterum liceat tuo praestantissimo amore atque amantissimo auxilio & frui & vti quam diutiissime, quam felicissime. Vale. Dab. in Academia FRIDERICIANA d. XII. Sept. Anni MDCCXXXVI.

PRAE.



EMAN PRAEFAMEN.



Xhibeo tibi materiam, quam  
sanior doctrina optimam  
merito iudicat, eamque tan-  
to magis in deliciis habet,  
quanto magis illa funda-  
mentum haud contemnen-  
dum veræ præbet religioni. Solidi autem at-  
que perspicui proponentis partes requirunt, ab  
eiusmodi principiis exordiri, quæ in pertra-  
etanda quadam materia non aliter, ac necessa-  
ria, putantur, prius ipsam, quam potest susci-  
pere tractationem atque ad finem feliciter per-  
ducere propositum. Hanc ob caussam, quia  
cum Deo *imaginis Dei primariæ per Christum*  
*reparationem* paucis in præsenti explicare ani-  
mus est, te ad *Observationes Theologicas, de*  
*imagine Dei*, quas paucis abhinc diebus foras  
dedi, remittere possum. Litteræ *Obs. eas* de-  
notant. Interim laborem meum, ad amplifi-  
cationem gloriæ diuinæ suscepimus, Tuo fau-  
ore forsitan non indignum existimabis, modo il-  
lam pro fine obtinendo atque norma actio-  
num tuarum habeas. Vale.

A 3

CAPVT

## CAPUT PRIMVM.

DE  
REQVISITIS REPARATORI IMAGINIS  
DEI NECESSARIIS.

Συνοψις.

- Reparare imaginem quid? §. 1. est. §. 9.  
 Finis Dei reparationem postulat. §. 2. Homo sibi imaginem amissam com-  
 Reparationem fieri posse, ex Sacra panare nequit. §. 10.  
 Scriptura ostendit. §. 3. Homo alterius hominis imaginem re-  
 Reparatori imaginis mala, a Deo cum panare nescit. §. 11.  
 violazione obligationis copulata, Neque etsi finitum imaginem potest  
 sunt ferenda. §. 4. reparare. §. 12.  
 Porro legem implere debet. §. 5. Neque angelii, siue sint boni, siue ma-  
 Ex omnibus imperfectionibus homi- lii, hoc prestare possunt. §. 13.  
 nem eripere & in statum preteri- Idem alio modo demonstratur. §. 14.  
 tum transferre debet. §. 6. Reparator imaginis ens infinitum esse  
 Ad huc omnia non debet esse obliga- debet. §. 15.  
 tus. §. 7. Unus tantum esse potest reparator.  
 Ita comparatus esse debet, ut non pos- §. 16.  
 sit ad reparationem cogi. §. 8. Reparator esse debet Deus. §. 17.  
 Infinitum habeat intellectum necesse Monitum, §. 18.

## §. I.

**S**i damna ex diuinæ imaginis primariæ amissione orta desi-  
 nunt, imago Dei primaria reparatur,

## §. II.

Finis Dei, propter quem homini imaginem dedit prima-  
 riam, hanc reparationem postulat. §. 8. & 17. Obs.

## §. III.

Quia Sacra Scriptura docet, nos ad imaginem esse reno-  
 vandos. Col. 3. 10. Eph. 4. 23. 24. nos ad nouam per Chri-  
 stum creaturam esse perducendos 2 Cor. 5. 17. Gal. 6. 17.,  
 hanc reparationem fieri posse appetat.

## §. IV.

## §. IV.

Homines, tanquam Dei subiectos ciues, voluntatem eius exequi, id est, legi satisfacere oportet. Transgressis autem legibus non dederunt, quod dari debet Matth. 22. 21., Deo suum, sed independentiam sibi vindicarunt §. 32. Obs., quæ tamen Deo propria est §. 6. Obs. Actio autem, qua alter suo priuatur, dicitur *laſio*. Ergo homines Deum laſerunt. Quoniam quoque hac ratione honos Summi Numinis obscuratus atque imminutus est, quæ imminutio peccatum efficit 1 Sam. 2. 17. 1 lib. 12. 15. Ies. 52. 5. Ezech. 36. 20. 1 Tim. 5. 14. col. Tit. 2. 5. 1 Tim. 6. 1. Num. 15. 30. Ies. 5. 24., damnum quoque heic reperitur. Quum autem hoc damnum ab eo debet compensari, qui imaginem primariam reparare vult §. 1., hæc vero compensatio per subsequentem obedientiam perpetuam non potest fieri: si quidem ad hanc iam obligatus est, restauratori imaginis diuinæ primariæ mala sunt ferenda, quæ Deus cum violatione obligationis coniunxit.

## §. V.

Si quidem consecraria mala, a Deo cum violatione obligationis perfectæ coniuncta, perferuntur, neutiquam vero lex impletur atque obligationi fit satis. Quia igitur damna ex afflictione imaginis diuinæ primariæ orta non desinunt, nisi lex impleatur, damna autem cessent necesse est, si imago diuina reparatur §. 1., sequitur, ut restitutio imaginis Dei primariæ sine legis impletione esse nequeat.

## §. VI.

Homo multis laborat imperfectionibus ex lapsu ortis §. 26. 33. Obs. Et quia voluntate sua hæc mala sibi attulit, et iam se ipse laſit. Status ex laſione ortus, dicitur *domnum*. Ergo ipse se adfecit damno. Hinc ille, qui imaginem primariam reparare vult, etiam hominem his imperfectionibus eripere atque in statum præteritum §. 7. Obs. transferre debet. §. VI.

## §. VII.

## §. VII.

Si quidam ad aliquid obligatus est, neque id pro aliis efficiere, neque hoc aliis quidquam comparare potest. Cum autem restaurator imaginis diuinæ damna aufferre debet §. 1., pœnas hominum subire §. 4., legem implere §. 5. atque hominibus imaginem iterum adquirere §. 6., ad hæc omnia ipse non debet esse obligatus obstrictusque.

## §. VIII.

Qui pro altero imaginem vult reparare, idem ille a nemine ad restitutionem imaginis primariae ab altero amissæ potest cogi. Aut enim hic eum cogit, qui pœnas & impletionem legis postulat; aut ille, a quo hæc desiderantur. Si prius verum, nihil restaurator per debitum exhibitum potest reparare, quoniam hoc ipse præstare debet. Quomodo alter simul hoc potest placari §. 7.? Si posterius verum, illud falsum est, suum cuique non esse violandum. Da, eum illi hoc debere. Id etiam hic erit impossibile. Nam quicquid alter nobis debet, id nostrum est. Pro certo autem ponitur, illum se non posse iuuare, pro quo alter imaginem primariam reparare debet. Ex his igitur patet, qui imaginem primariam reparat, eum ad reparationem non posse cogi.

## §. IX.

Hominum peccata sunt infinite multa atque pœna debita in seculorum secula perdurare debet. §. 43. Obs. Ergo qui pro hominum peccatis pœnam suscipere §. 4. & legibus diuinis satisfacere §. 5. & hoc modo amissam Dei imaginem reparare vult, cum infinito intellectu instructus esse debet, ut sibi infinita mala repræsentare possit.

## §. X.

Eget iam homo facultate conuenienter diuinis legibus vivendi §. 26. Obs. Atque si idem ille pro malis actionibus conscientia cum illis copulata sustinere pœnasque subire vellet, æternitas

nitas requireretur, quam homo non sua, sed Dei voluntate habet. §. 43. Obs. Ergo impossibilitatem inuoluit, hominem si bi comparare posse imaginem diuinam §. 1. 4. 5. 6.

## §. XI.

Homo non modo ad reparationem imaginis ipse est obli-gatus §. 34. Obs. sed etiam earn reparare nescit §. 10. Ergo homo vt suam, ita & alterius hominis imaginem primariam reparare nequit §. 7. Ps. 49. 8. 9.

## §. XII.

Quæcunque entia finita sunt, Deo sunt subiecta, qui illis omnes præcepit, quas suscipere possunt, & actiones bonas. Quia autem imaginis primariae restaurator sine villa obligatione legi satisfacere debet, §. 5. 7., ens finitum non posse imaginem Dei amissam reddere, appetet.

## §. XIII.

Angeli, sive sint boni, sive mali, sunt entia finita. Ens finitum imaginem non potest reparare. §. 12. Ergo neque angelobi, neque mali, imaginis reparationem suscipere possunt.

## §. XIV.

Reparator imaginis infinito abundare debet intellectu §. 9. Quia autem angeli & boni & mali entia sunt finita, & hanc ob rationem finito tantum intellectu gaudent, sequitur, eos imaginem non posse reparare.

## §. XV.

Ens finitum non potest primariam Dei imaginem reparare §. 12. Omne autem ens est finitum, aut infinitum. Ergo ad restitutionem imaginis primariae ens infinitum requiritur.

## §. XVI.

Qui vult imaginem primariam reparare ens debet esse infinitum §. 9. 15. Quum autem tantum ens esse possit unum infinitum, de qua veritate optimas demonstrationes exhibet S.

B.

Rev.

R. REINBECKIVS Part. I. Med. III. ad A. C. , etiam vnuſ tantum  
restaurator imaginis primariae esse potest.

## §. XVII.

Ad reparationem imaginis requiritur ens infinitum. §. 15.  
Deus autem est solus ens infinitum. Ergo reparator imaginis  
primariae esse debet Deus.

## §. XVIII.

Hæc sunt requisita imaginis Dei reparatori necessaria atque tantummodo ea, quæ possunt præsentem efficere tractationem. Restant quidem adhuc alia, quæ autem in præsenti præterire possum.

## CAPUT SECUNDUM.

DE  
CHRISTO IMAGINIS DIVINAE  
REPARATORE.

Συνολις.

- |   |   |
|---|---|
| <i>Christus est verus Deus.</i> §. 19.          | <i>Vt nos a maledictione legis redime-</i>      |
| <i>Naturam humanam assumit.</i> §. 20.          | <i>ret. §. 34.</i>                              |
| <i>Imaginem diuinam reparauit.</i> §. 21.       | <i>Vt ex filiis ire filios gratia redderet.</i> |
| <i>Dubitationibus quibusdam occurri-</i>        | <i>§. 35.</i>                                   |
| <i>tur. §. 22. 23. 24. 25. 26.</i>              | <i>Cur Christus princeps pacis vocari</i>       |
| <i>Christus nos sanguine ab omni pec-</i>       | <i>possit. §. 36.</i>                           |
| <i>cato emundauit.</i> §. 27.                   | <i>Christus venit, vt spem vitæ eternæ no-</i>  |
| <i>Dubium tollitur.</i> §. 28.                  | <i>bis daret. §. 37.</i>                        |
| <i>Christus nos redemit ab omni iniu-</i>       | <i>Vt nos saluos faceret. §. 38.</i>            |
| <i>sitia.</i> §. 29.                            | <i>Vnius Christi iustitia iustificatio vi-</i>  |
| <i>Per eum serui facti sumus iustitiae.</i>     | <i>te ad omnes peruenit. §. 39.</i>             |
| <i>§. 30.</i>                                   | <i>Cur in ipsis, qui in Christo sunt, ni-</i>   |
| <i>Cur Christus sit iustitia nostra.</i> §. 31. | <i>hil, quod esset damnable, reperi-</i>        |
| <i>Ille venit, vt opera Diaboli desfrue-</i>    | <i>ri possit. §. 40.</i>                        |
| <i>ret. §. 32.</i>                              | <i>Christus nobis est sapientia, iustitia,</i>  |
| <i>Vt nos a operibus mortuis liberarer.</i>     | <i>sanctificatio &amp; redemptio. §. 41.</i>    |
| <i>§. 33.</i>                                   | <i>Monitum, §. 42.</i>                          |

## §. XIX.

## §. XIX.

**C**hristus, qui ab æterno existit ex patris essentia Ioh. 5. 26. Ps. 2. 7. Act. 13. 33., qui hauc ob rationem μονογενης παρα πατρος Ioh. 1. 14. Cap. 3. 16. & ιδιος νιος Rom. 8. 32. recte vocatur, cum illo simul Deus est i Tim. 3. 16. Ioh. 1. 1. Ei tribuuntur nomina diuina Θεος, Κυριος Ier. 23. 6. Ioh. 1. 1. Rom. 9. 5. Esa 6. 1. 3. col. Ioh. 12. 41. Esa. 45. 21. 24. col. Rom. 14. 11. Esa. 8. 13. 14. Tit. 2. 13. Ei competit attributa vere diuina omnipræsentia Matth. 28. 20. Eph. 1. 23., omnipotentia Ioh. 3. 35. c. 10. 28., æternitas. Ioh. 17. 5., omniscientia Ioh. 2. 24. 25. Ei adscribenda sunt opera diuina creatio Ioh. 1. 3. Ebr. 1. 10. conseruatio Ebr. 1. 3. Ioh. 5. 17. redemptio AEt. 20. 28. 2 Cor. 5. 19. &c. Ei competit cultus vere diuinus Ebr. 1. 6. Rom. 14. 11. Ioh. 5. 23. c. 14. 1. Hinc iisdem cum patre gaudet characteribus §. 6. Obs., propter quos recte *substantialis imago* §. 2. Obs. *patris appellatur*. Ebr. 1. 3. Col. 1. 15.

## §. XX.

Destinato tempore veram, licet nonnulli hancce veritatem æternam negent, quos eruditissime cum aliis enarravit S. V. WALCHIVS in diff. de vera Christi humana natura Sect. I., humanam naturam Ebr. 2. 14. Gal. 4. 4. Rom. 9. 5. ex Maria Virgine Eſ. 7. 14. Matth. 1. 23. 25. c. 2. 11. Luc. 2. 6. 7. 11., non autem ex ccelis adulxit, vt FELGENHAVERVS putauit, de quo S. V. RVSSIVS plura commemorauit in Harmon. Euang. Tom. I. L. I. cap. VII. p. 127. sq. Bethlehemi Mich. 5. 1. 2. Ioh. 7. 42., minime vero prope Bethlehem, assumſit, neutiquam vero hominum peccata Ebr. 7. 26. 27. c. 4. 15. i Ioh. 3. 5. i Pet. 1. 19. c. 2. 22. Ioh. 8. 46. 2 Cor. 5. 21. Christus enim non naturali, sed supernaturali modo genitus est Ief. 7. 14. Matth. 1. 18. sq. Luc. 1. 35. Quia autem Christus, vt homo, nullis peccatis erat imbutus, etiam imagine Dei homini data

primaria praeditus fuit §. 17. Obs. Conf. D. IOACH. IVST.  
BREITHAVPTII obseruationes de imagine Dei obs. III. §. 1.  
D. RVSSII Harmon. Euang. Tom. I. L. I. c. X. p. 211.

## §. XXI.

Qui imaginem diuinam primariam vult reparare §. 1. ille ipse ad reparationem non debet esse obstrictus §. 7., neque ab alio ad restitutionem cogi potest §. 8. Porro ille infinitum intellectum habere §. 9. ens infinitum §. 15. & Deus esse debet §. 17. Ei quoque mala conjectaria soli sunt ferenda §. 4. 16., quæ homo alioqui ferre deberet atque pro illo legem implere tenetur §. 5. Denique ei allaborandum est, ut damna ratione hominis cesserent homoque rursus imaginem primariam accipiat §. 6. Christus autem verus Deus est. §. 19., & consequenter nihil mali in illo reperitur Deut. 32. 4. §. 6. Obs. Ergo non obstrictus erat sui causa imaginem reparare Ps. 69. 5. 2 Cor. 15. 20. & 1 Pet. 1. 18. 19. Et quia Deus ab arbitrio nullius penderit, etiam ad restorationem a nemine cogi potuit. Deinde ut verus Deus infinito gaudebat intellectu §. 6. Obs. atque ens infinitum erat §. 19. Et quia caro in persona λογος §. 20. omnia peccata mortaliū, neque minus eorum penas sibi distinctissime repræsentare poterat, etiam in hac parte ei non deficit reparatoris character. Quia infinitam cognitionem imperfectionum hominum habebat, etiam infinitos dolores sentiebat; quia dolor imperfectionis cognitionem requirit Matth. 26. 38. 39. 42. 44. 46. Marc. 14. 34. 36. c. 15. 34. Luc. 22. 42. Morbos nostros rulit & dolores nostros & peccata nostra porrigitur. Eccl. 53. 4. 5. 1 Pet. 2. 24. id est penas hominum in se suscepit, ut ab illis absoluuerentur. Præterea quoque caro in persona λογος pro omnibus hominibus 1 Ioh. 2. 1. 2. mortem pertulit Matth. 27. 50. Luc. 23. 46. Marc. 15. 37. Ioh. 19. 30., quam Deus cum violatione legis copulauerat Gen. 2. 17. Heic, heic infinita persona mortem pertulit; Deus in humana carne  
*passus*

*paffus est 1 Pet. 3. 18.; Dominus gloriae crucifixus est 1 Cor. 2. 8.; auctor vita*e* interfec*tus* est Act. 3. 15. atque Deus sanguinem proprium effudit Act. 20. 28; legem & obedientia actiua & passiua pro hominibus impleuit Matth. 5. 17. Rom. 5. 19. Philip. 2. 8. & quidem solus Eccl. 63. 3. 1 Tim. 2. 5. Act. 4. 12. atque ea reparauit, quae homo amiserat. Hinc Christus imaginem diuinam primariam reparauit 1 Cor. 1. 30.*

## §. XXII.

Licet peccatum originis in hac vita non opprimi penitus possit §. 40. Obs., non possumus tamen negare, Christum imaginem primariam reparasse. Illa enim in hac vita ratione hominis non perfecte, sed tantum *inchoatiue*, ut Theologi loquuntur, reparatur 1 Ioh. 3. 2. Vid. D. BREITHAVPTII obs. Theol. de imagine Dei. cit. obs. V. §. 1. sq.

## §. XXIII.

Quamquam nos mori oporteat; tamen opponi nequit, a Christo non esse imaginem reparatam, praesertim, quum imago primaria immortalitatem corporis requirat. §. 15. Obs. Id enim tantum sequitur, imaginem in hac vita *inchoatiue* reparari, quod nemo forsitan inficias ibit §. 22. Quia enim peccatum originale delerinequit in hac vita §. 40. Obs., permanet quoque hoc consec*tarium*. Praeterea perueniunt pii morte ad perfectam imaginem; qua ratione illam non debent timere. Ebr. 2. 14. 15.

## §. XXIV.

Etiam adferri in medium nequit, ex historia passionis notum esse, Christum non tolerasse eternam mortem, ut autem Christus tam intensiue, quam extensiue, eam tolerasset, necesse fuisse §. 42. 43. Obs. & 4. Ergo sequi putas, falsum esse, imaginem a Christo esse restitutam. At quia Christus in persona λογια passus est, infinitos dolores habuit. §. 21. & hanc obcausam eternae mortis perpassiones exhausti. Intensiue mortem

tem æternam igitur pertulit. Extensive mortem æternam ut perferret, non erat necesse, quia damnati ob finitam conditio-  
nem eam perferre debent. Christus autem erat persona infini-  
ta §. 19. 21. Vid. 10. IAC. RAMBACHII Vindiciæ satisfactionis  
Christi §. IV. n. 3. 4. p. 15.

## §. XXV.

Neque etiam est, quod obicias, a Christo eam ob caussam  
imaginem non esse reparatam, quia alioqui ex gratia Deus no-  
bis nihil condonare posset. Gratia enim Dei est, quæ medium  
reparationis imaginis inuenit. Ioh. 3. 16. Eph. 2. 4. 5. Rom.  
5. 10. Gratia Dei est, quæ accepit hoc medium. Nisi enim hoc  
accipere vellat, a nemine posset cogi, quia legislator ab eo po-  
stulare potest & legis impletionem, cui legem dedit, & passio-  
nem consectoriorum malorum ab eo, qui legem violauit. Ezech.  
18. 4. Hinc gratia Dei est, quæ nobis peccata remittit Rom.  
3. 24. 25. Luc. 1. 77. 78. *Gratis ex eius gratia absoluimur, sed*  
*per redemtionem Iesu Christi, quem proposuit Deus propitiatione-*  
*nem per fidem in sanguine eius.* Gratia igitur Dei, & meritum  
Christi non separanda sunt, sed coniungenda.

## §. XXVI.

Porro mihi occurri nequit, imaginem Dei primariam non  
esse pro omnibus restitutam, quia omnes illa non gaudeant.  
Nam pro omnibus quidem illa est restituta, omnes autem illam  
acceptare nolunt, quæ acceptatio sine fide esse nequit, de qua  
autem acceptatione in præsentia gere non est animus. Optan-  
dum autem est, ut omnes omnino homines sibi Christi fauorem  
cum Paullo Philipp. 3. 8. compararent, quippe qui seruare in  
perpetuum, siue ad plenum, seu perfecte potest, qui ad ipsum,  
seu ad ἀλεξησον, & per ipsum ad Deum accedunt. Ebr. 7. 25.  
Ipse etiam nos inuitauit Matth. 11. 28.: *Venite, inquit, ad me*  
*omnes, qui laboratis & onerati estis, ego vos reficiam, non autem*  
*expellam Iob. 6. 37.; quia ibi superabundat gratia, ubi abundat*  
*peccatum Rom. 5. 20.*

## §. XXVII.

## §. XXVII.

Quum Christus imaginem diuinam repararet, etiam nescie erat, vt pro omnibus peccatis mortem perferret §. 43. obs. & 4., quam etiam pertulit §. 21. Quia autem mors cum effusione sanguinis coniuncta erat Matth. 27. 29. Ioh. 19. 34, etiam nos emundauit preioso sanguine ab omni El. 53. 4. peccato. Ioh. 1. 7. Ephes. 1. 7. Col. 1. 14. I Pet. 1. 18. 19. Ebr. 9. 12. 15. Apoc. 5. 9.

## §. XXVIII.

Non opus fuisse putant aduersarii, vt Christus tantos cruciatus tolerasset, quia Deus una gutta sanguinis contentus fuisset, quippe que infinitam virtutem haberet. In se, verum est, guttam sanguinis Christi infinitum habere valorem. Confer B. FRIDEM. BECHMANNI Theol. Polem. Controu. II. Sect. III. §. 25. p. 610. Add. 10. GABRI. DRECHSLERI Diff. an una gutta sanguinis Christi satisfacere potuerit pro mundo? Quia autem mortem perferre debebat, qua cum coniuncta erat sanguinis effusio, etiam diuini decreti ratio multum sanguinem postulabat.

## §. XXIX.

Ergo ut nos redimeret ab omni iniustitia, se morti Tit. 2. 24. atque semetipsum victimam Deo in odorem bonae fragrantiae Ephes. 5. 2. tradidit §. 21. 27.

## §. XXX.

Christus nos ab omni iniustitia liberavit §. 29. Ergo a peccatis per Christum liberati, servi facti sumus iustitiae Rom. 6. 18.

## §. XXXI.

Homines nouam per Christum sunt adepti iustitiam §. 29. 30. Ergo Christus recte vocatur *Iehova iustitia nostra* Ierem. 23. 6. de quo loco eruditissime, vt soler, egit Magnif. CHRIST. BENED. MICHAELIS in Diff. de nominibus Christi diuinam ipsius naturam designantibus §. 6. sqq.

## §. XXXII.

## §. XXXII.

Ergo Christus hanc ob caussam in mundum intravit, ut *caput serpentis contereret* Gen. 3. 15. atque *opera diaboli destrueret* Ioh. 3. 8. §. 35. Obs. 21. 27. 29. 30. 31. Hinc PRUDENTIUS optime canit:

*Beelzebulis callida*

*Commenta Christus destruit.*

## §. XXXIII.

Christus imaginem & opera Diaboli destruxit §. 32. Ergo *nos a mortuis operibus purgauit* Hebr. 9. 14.

## §. XXXIV.

Christus imaginem diuinam primariam reparauit & hinc legem diuinam, ut erat necesse §. 5., impleuit Matth. 5. 17. Rom. 10. 4. legisque maledictionem, quam perferre debebat §. 4., pertulit §. 21. Ergo *nos redemit a maledictione legis*. Gal. 3. 13. c. 4. 4. 5.

## §. XXXV.

Propter peccata & iniustiam, ex amissione imaginis diuinæ ortam, erat homo obiectum iræ diuinæ §. 42. Obs. Quia autem Christus nos ab omni peccato & iniustitia redemit §. 27. 29. 30. 31. atque imaginem reparauit. §. 21., etiam venit, ut ex filiis iræ filios gratiæ redderet. Hinc venit, ut omnes ex eius plenitudine acciperent gratiam pro gratia Ioh. 1. 16.

## §. XXXVI.

Christus ex filiis iræ, filios gratiæ fecit §. 35., qui hanc ob caussam pacem cum Deo habent. Hinc etiam Messias ab Es. c. 9. 6. שָׁׁלֹׁוּ־־־־־ princeps pacis salutatur, quia hoc modo pacem inter Deum & hominem fecit. Rom. 5. 1.

## §. XXXVII.

Hominibus nulla erat spes salutis æternæ, quia obiecta erant iræ diuinæ §. 42. 43. Obs. Quia autem venit Christus, ut ex obiectis iræ diuinæ obiecta gratiæ ficeret §. 35., etiam venit, ut ite-

rum

rum hominibus spern viræ æternæ daret. *Hinc quemadmodum peccatum regnauit ad mortem §. 42. 43. Obs. ita etiam gratiare-gnat per iustitiam ad vitam æternam per ipsum Iesum Christum Dominum nostrum Rom. 5. 21.*

## §. XXXVIII.

Deus hominibus vitam æternam promiserat, si præceptis satisfacerent. Præcepta autem violarunt, & hac ratione etiam promissionis expletione, & consequenter vitam æternam amiserunt. Quia autem Christus venit, ut amissa restitueret §. 1. 21., etiam venit, ut salvos faceret peccatores 1 Tim. 1. 15.; id quod etiam his verbis indicauit angelus Iosepho: *Ipse seruabit populum suum peccatis §. 27. erexit Matth. 1. 21.*, seu a peccatis multis liberatum, prout hæc verba eruditissime, vt solet, explicauit 10. ANDR. FABRICIVS, præstantissimum eloquentiæ Decus, in diff. de sacra N. T. tropologia cap. 2. §. 36.

## §. XXXIX.

Adamus solus, ut caput representativum §. 31. Obs. in quo omnes peccauimus §. 34. Obs. damnationem attulit §. 32. Obs. Christus autem solus, ut fieri debebat §. 42. 43. Obs. & 16., damnationem sustulit §. 21. Ergo sicut ex peccato unius hominis damnatio in omnes homines redundauit; ita etiam iustitia unius Christi iustificatio vitæ ad omnes peruenit homines Rom. 5. 18.

## §. XL.

Quia Christus ab omnibus peccatis §. 21. 27., ab omni iniustitia §. 29. 30. 31., ab operibus diaboli §. 32. & mortuis §. 33., a maledictione legis §. 34. nos liberauit, ut non ulterius essemus obiecta iræ diuinæ, sed gratiæ §. 35. quid? quod etiam damnationem sustulit §. 39., etiam in hiis, qui in ipso sunt, nihil reperiri potest, quod esset damnable Romi. 8. 1.

## §. XLI.

Homo amiserat cum imagine diuina sapientiam atque sanctitatem aliaque §. 15. 32. Obs. Deus autem filium suum, quem

C

habuit,

## 18 DE IMAGINE DEI PER CHRISTVM RESTITVTA.

habuit, vniogenitum misit, vt diuinam repararet imaginem Rom. §. 10. Ioh. 3. 16. Ergo Deus Christum, qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum 2 Cor. 5. 21., vt nobis esset sapientia, iustitia, §. 29. 30. 31., sanctificatio atque redemptio §. 21. 1 Cor. 1. 30.

### §. XLII.

Estigitur, quod veneremur Christum, qui peccata mundi Ioh. 1. 19. & quidem omnia §. 27., iniustitiam §. 29. 30. 31., mortem hominum æternam §. 37. maledictionem legis §. 34., imaginem diaboli §. 35. Obs. & 32. 33. damnationemque sustulit §. 39., adeo, vt in præsenti non damnable, qui in eo sunt §. 40., deprehendatur; qui etiam spem salutis æternæ §. 37. ipsamque gloriam æternam §. 38., modo in agnum credamus §. 26., iustitiam §. 30., sapientiam & sanctificationem §. 41. paucis, qui imaginem diuinam primariam, quæ erat amissa §. 32. Obs. nobis iterum comparavit §. 21. Est, quod Christi amorem immense latum, immense longum, immense profundum atque immense excelsum Eph. 3. 18. 19. animo deuoto cognoscamus, vt agnitus huius beneficii infiniti amorem in Iesum, hoc est, gratam mentem in pectore nostro producat. Est, quod enarremus & enumeremus beneficia Summi Numinis, quæ sunt inenarrabilia & innumerabilia. Est, quod ei maximas agamus gratias, qui nos in peccatis mortuos vehementissime amauit, filio suo non pepercit proprio, sed pro nobis omnibus tradidit nosque in Christo & per eum viuos reddidit, atque ita nos sibi ipsi reconciliauit in Iesu Christo 2 Cor. 5. 18. Denique est, quod ad honorem Dei amplificandum hocce medium præscripto modo accipiamus amplissimum, præsertim, quum, nisi finis Summi Numinis rationem habeamus, nostrum ne-

quaquam obtainere possimus

F I N E M.

DISSE.

DISSERTATIO EPISTOLARIS GRATVULATORIA  
DE  
**NATVRALISTARVM**  
IN  
DOCTRINA  
DE  
**IMAGINE DEI**  
PER  
**CHRISTVM RESTITVTA**  
ERRORE

---

AD  
VIRVM  
MAXIME REVERENDVM, AMPLISSIMVM  
DOCTISSIMVMQVE  
**HENRICVM KRÜGERVM,**  
INSPECTOREM ET PASTOREM COETVS DEI,  
QVI TEMPLINI EST, VICINALIVM QVE ECCLESIA-  
RVM SPECTATISS'MVM GRAVISSIMVM QVE.

AUCTORE  
**IO. GVILIELMO LANGIO**  
LIPPSTADIENS.

VIR MAXIME REVERENDE,  
AMPLISSIME ATQVE DOCTISSIME.

**G**RATVLANDI officium, et si numquam non, cui  
potius debuisse, quam TIBI, habui neminem :  
eo tamen libentius id TIBI esse in praesenti per-  
soluendum putau, quo meliores, quo praestan-  
tiore, quae ad hoc suscipiendum me inuitarunt,  
rationes possunt adferri. Insigne enim, quod iterum vides,  
eruditionis ac diligentiae Filii TVI Doctissimi documentum  
tantam mihi dedit laetitiae copiam, vt teneri nequaquam po-  
tuerim, quin TIBI ex animo gratularer vereque gratularer  
atque gaudium TVVM meum etiam esse cupidissime decla-  
rarem. TIBI sane hoc solidum politissimi ingenii argumen-  
tum nouam optimamque laetandi materiam praebet, quum  
ex eo tam nautitatem, quam scientiarum & in primis diuinioris  
doctrinae cognitionem, quam sibi aequa in Ieneri, ac Hal-  
lensi, academia satis diligenter comparauit, colligere possis  
eumque TVAM non modo impleuisse, sed multum etiam  
superasse & vicisse spern atque expectationem. Accedit, quod  
nulla auctoritate, nullo consilio nullaque aliorum cohortatio-  
ne adductus, sed potius grato grati animi praemio & dulci in  
TE amoris laude impulsus hocce specimen excogitauerit, ex-  
cogi-

cogitatum copiose, solide & eleganter elaborauerit, elaboratum denique in publicam lucem protulerit, ut aetas TVA, quae est ingrauescens, debitam ex doctrina & virtute casperet foliati vim atque efficacitatem inque mirifico, quo abundat, in TE amoris affectu maxime conquiesceret. Me autem voluptatem eamque maximam ex singulari Filii TVI, mihi amicissimi, eruditionis laude percipere, TIBI, VIR MAXIME REVERENDE! iucundissimum esse, certo scio. Nisi enim his rebus circumstantibus gratissimus gaudii affectus, effectus amicitiae verae vere optatissimus, in animo meo exsurgeret, certum erga Filium TVVM amorem ex eo plane cicerem, qui tamen tantis & tam firmissimis nititur fundamentis, ut numquam debilitari posse videatur. Ester praeterea, quod melioribus laudibus Filii TVI, mei ex animo amici, tam elegans ingenium exquisitamque doctrinam, quam eximiam fidem, probitatem, suavitatem consuetudinis aliaque, quibus est ornatus, virrutum genera efferrem, nisi tacitam laudem tantopere probaret eaque sapienter delectaretur. Silentio autem iustissimam nequeo praeterire praedicationem, quam quoque ei non potui non impertiri, quum me TIBI, ut me TVORVM numero adscriberes TV Aque praestanti benevolentia haud indignum existimares, libentissime commendaret atque hanc commendationem ut fuisse diligentissimam, ita iucundum apud TE pondus habuisse, ex variis litteris a TE acceptis cum voluptate animaduertere & intelligere potui. Hanc ob caussam mihi de me ipso praedicanti, pro TVO in me fauore, ignosces, eum a me sic diligi, vel potius amari, ut TIBI vni, nemini praeterea, concedere possim. Non vereor igitur, ne mirum TIBI videatur, si qua mei in eum ingenui amoris magnitudo ex omnibus partibus in hisce se ostendit litteris atque perpolitum, quod TIBI consecravit, specimen TVO comprobari iudicio ac ab aliis

## 22 DISSERT. EPISTOLARIS GRATVATORIA

aliis laudari haud secus, quam par est, vehementer laetatur. Hanc enim *de imagine Dei per Christum restituta tractationem* quin serena, vt soles, fronte accipias, eo minus dubito, quo magis ex ea, gratissimum Auctorem TVAM esse imaginem, cognoscere poteris. Nisi autem alii Auctorem huius laboris *Ornatissimum*, qui praestanti laude adficeretur, dignum putarent, eruditio certe ac perspicuo, quod nostrae religionis systemati firmum praebet fundamentum, argumento minime caperentur. Multi quidem veritates, quas cum in his, tum in prioribus *de imagine Dei observationibus* protulit, luce meridiana clariores ferre nequeunt, qui nullum lumen nullumque praeter rationem doctorem desiderant atque hanc ob caussam nihil, nisi quod non ei solum conueniat, sed etiam illa doceat, rectum arbitrantur. Hac autem illiterata, quam alunt, & insulsa sententia, tantum abest, vt veritatem infirmare possint, vt eam potius, praeter opinionem, confirmare debeat.

NOSTI Naturalistas, vt vocantur, a quibus illi separandi sunt, qui Pantheismi, aut Spinozismi atque Pelagianismi accusantur, VIR MAXIME EVERENDE! & malos errores, in quibus versantur, perspectos habes atque exploratos. Mirum in modum extollere rationem solent eamque de Deo & rebus diuinis ad salutem obtinendam hominibus necessaria subministrare contendunt: de quare, praepter alias, egit IO. FRANC. BVDEVS in *Ithagog. Historico-theolog. Lib. II. cap. VII. pag. 80 CCIII. sq.* Nosti eos, quorum numerum satis magnum composuit ADAM. TRIBBECHOIVS in *historia Naturalismi a prima sua origine ad nostra usque tempora deducta*, qui pariter, ac EDWARD. HERBERT de CHERBVRY & in scripto de veritate, prout distinguuntur a reuelatione, a veri simili, a possibili & a falso, & de religione gentilium errorumque apud eos caussis, finem sacrarum litterarum contentionem.

temnentes hanc simul restitutionem reiiciunt aliudque & præstantius medium ratione inueniri posse, sibi mirifice persuadent. Sunt autem omnes Naturalistæ VALENT. ERNEST. LOESCHERO in *Praenotion. Theol. pag. CCLXI. CCLXVIII.* partim Rationarii, siue Rationalistæ, qui solummodo rationis auctoritate nituntur, partim Traditionarii & hi ex traditionibus, optimis scilicet principiis, praesidia adiumentaque quaerunt. De illis, pace TVA, meam paucis expromere sententiam eamque TVO subiicere ea, qua pars est, obseruantia, iudicio, animus est, de his autem in praesentia non valde laboro, quippe qui intelligendo faciunt, ut nihil fere intelligere atque hac in re videre videantur.

OMNEM vero operam perdunt Rationarii, laudibus, quibus rationem adficiunt, huic opinioni veritatis speciem posse conciliari, putantes, utpote quam amplecti adsensuque excipere nequit ratio. Etenim media, quae ad finem, hominibus propositum, requiruntur, ex voluntate Summi Numinis aequa sunt petenda, atque gratia, quam nobis facere debet, delictorum. Ratio autem eaque exercitata nihil detegere, neque peracri vi quidquam potest ad sequi, quod potissimum voluntati diuinae faceret satis eamque flecteret, ut deposita ira in pristinam homines consuetudinem reuocaret. Non est, quod vehementer glorietur ratio, si, praeter perfectum omnique genere absolutum medium, nullum apud Deum pondus habere, perspicit, praesertim quum hac cognitione, etiamsi minime, ut ego quidem arbitror, reprehendenda sit, nihil posit perficere. Est autem, quod circumscriptum cognitionis gradum, ad quem peruenire potest, paulo etiam accuratius diligentiusque consideret, si illud, quo in splendissimam Dei gratiam debent redire homines, medium ostendere atque certo definire nequit. Quod si enim illud, quod ei haut immerito est probatissimum, inuenire posset, vel a

*priori*

24 DISSERT. EPISTOLARIS GRATULATORIA

*priori*, vel a *posteriori*, vt philosophi loquuntur, id inueniret  
esset necesse.

DA, illud ei a *posteriori* notescere. Num ad hunc usque diem id desiderari posset anxieque efflagitari? Fac, illud a *priori* esse notum. Nonne in hoc casu spiritui finito infinita rationis vis esset tribuenda, qua omnia, quae esse possunt, media sibi distincte repraesentaret? Nisi enim, ad unum omnia videret media, etiam, ad hoc, vel illud, medium Dei voluntatem inclinare, affirmare insipientis esset. Qua vero facultate nullis circumscripta limitibus, quum, si a venerando Ente discesseris, nemo gaudeat, neque abundare possit, etiam a nemine hominum umquam poterit declarari, hoc, sive illud, medium tam certum esse, quam quod certissimum.

QVAMVIS quoque saepius aliquid adferat ratio, quod optimi medii speciem habet aut mediocrem: in eo tamen, tantum abest, vt adquiescere possit, vt potius cum anticipiti deliberatione conflictari debeat.

IN viam redire & sanctimoniae operam dare incredibilem, satis quidem est ad cauendum, quod actionem excipit malum, malum, minime autem ad damnum, quo nos ipsi adfecimus, resarcendum. Licet enim numquam a recta discedas via, neque umquam committas, vt ullum factum iure possit reprehendi: nullam tamen tibi praeteritorum criminum veniam dari, facile peruidebis, modo te nullum officium, ne minimum quidem, sine debita culpa, aut malitia, posse praeterire arbitris.

NEQUE etiam aggratiatio, vt appellatur, ad consolandum, neque ad conscientiam pravae voluntatis sanandam quidquam conferre potest, nisi bonitatem, sapientiam &c, quae ex his existit, perfectissimi Entis iustitiam in dubium vocare velis. Delicta ciuium non aequae potest remittere iustissimus

iudex

iudex Deus, ac princeps, quippe quem salus & felicitas Republicae saepius in puniendo reddunt mitiorem. Caeu autem credas, optimum & maximum Numen habere, quod nullam sapientiae in te diligendo rationem ducat, sed potius ei cedat: ius suum relinquat: nullam inter actionem & meritum conuenientiam obseruet: dissensum in rerum vniuersitate sine ratione admittat atque coeco te amore, id quod umquam nequaquam fieri potest, complectendum statuat.

TE etiam resipiscentia tuam priorem improbitatem diluere atque salutem, ad quam adspiras, confirmare posse, non facile dixerim. Ex quibus rationis veritatibus est perspicuum, sanctissimam diuini Numinis voluntatem posse poenitentia reconciliari? Nonne voluntate latoris legis aut legem tenere, aut mala cum legis transgressione coniuncta sufferre nos oportet? Is autem, qui mandata non perficit, neque actionem iniunctam poenitentia edit, neque mala sustinet legitima. Quo pacto igitur sanctori legis ea facere potest satis? Alter quidem de maximis altissimi Dei perfectionibus, atque olim vitorum amator iudicasti, iudicas, si flagitiis te poenitet, stultiae pudet, infinitum vero honorem hoc modo repensari, qui sibi persuadeat, dumne aequi aestimatoris gloriam pro nihilo ducat, esse arbitror omnino neminem. Nisi insita, quam sentis, obligationis vis ad resipiscentiam te perduceret, aliud, ac in praesenti, iudicium expromerem. Poenitentia tantum impedit, quo minus maiora in resipiscentem ex malis actionibus futuris redundant mala, honorem autem praepotentis Dei sceleribus violatum nequaquam reddit, neque hac ratione eum placatum tranquillumque efficit. Alia aliorum virorum, praesertim immortalis IOAN. MVSÆI in *dissert. de luminis naturæ & ei innixæ theologiae naturalis insufficientia ad salutem s. XXXV. sq.* proposita, argumenta tacitus praetereo. Hanc ob-

D

caus-

caussam non possum non confiteri, quartum, quem excogitauit CHERBVRY suae religionis, articulum tantum a specie veritatis abesse, quantum a veritatibus natis abhorret.

NEQVE etiam argumenta, quae ROB. SCHARRICK de officiis secundum ius naturae cap. XVI. dedit, quorumque mentionem fecit ZACHAR. GRAPIVS in *Theologia recens contiouersa Tom. IV. cap. II. Quaeſt. V. ſ. I. III.* tanti esse videntur, ut eorum caufa vadimonium esse deserendum existimem. Negari non posse iudicat, in ea re, quae nulli entium vitio vertitur, sed potius ad rationalis naturae virtutem spectat & perfectionem, Deum creature haut esse dissimilem. Gratiam autem delicti sine satisfactione poenitenti facere pro ea re esse habendam putat & hanc ab caußam ex natura notum esse credit, Summum Numen per poenitentiam esse placandum. Praetermitto in praesenti rationes, quibus hanc falſam refutarunt sententiam IAC. HENNING. in *disp. de quaefſt: Num poenitentia sit iuris naturalis?* atque GRAPIVS loc. cit. ſ. II. pag. xx. seq. & paucis in eam inquirere animus est. Cur homo homini propter poenitentiam sine satisfactione potest condonare crimen? Nonne eam ob caußam, quia hominum leges tantum sunt positivae, quarum pro arbitrio tollere possunt obligationem? In hac re Deum esse creature dissimilem, multa affirmatione recte negant veritatis amatores: id quod etiam perspicuo exemplo confirmavit S. R. IOAN. GVSTAV. REINBECK. in *Medit. ad Aug. Confess. P. II. cap. XXX. ſ. XIII.* Quod autem de legibus positiviis dicitur, idem illud de legibus dici nequit naturalibus. Quodsi enim natura poenitentiam doceret, etiam doceret necesse esset, Summum Numen posse obligationis legum naturalium hominem absoluere. Leges autem natae, quas nobis per naturam praescripsit Deus, sunt aeternae ac immutabiles, quarum obligatione absoluere hominem

hominem & hac ratione poenam sine satisfactione ei remitte-re nequit: quam veritatem eruditissime demonstrauit V. Summe Venerabilis REINBECK. *I.c. s. XXVI.*

DE INDE etiamsi homines a sacris Christianis alieni de quadam placatione loquantur: non est tamen, quod affir-memus, illam ex natura posse hauriri. Nam multos isti ho-mines iactarunt modos, quos eo minus rationi debent, quo magis ei contradicunt. Ratio quidem intelligit, nos ad beatorum sedem ad spirare non posse, nisi aliquo medio gratiam sanctissimi Numinis nobis comparemus: intelligit atque ex potentia, bonitate, sapientia & iustitia Dei colligit, de quo legi potest Summe Venerabilis IO. HENR. MICHAELIS, Praeceptoris aetatem Venerandi, *dissert. de cognoscendi Theologiae reuelatae principio s. I.*, illud ab eo hominibus esse datum, sed in quo istud sit ponendum, omnino nescit atque nesciret, nisi reuelatio, cuius necessitatem hanc ob causam concedere debet, aedesset. Proinde concedatur, maiores a religione Christianorum remotos pro medio, homini gratiae summi Numinis conciliandae, poenitentiam habuisse: minime tamen conclusum potest componi: Ergo natura eos poenitentiam docuit. Alioqui eadem ratione concluderem: Ergo corpus humanum esse lacerandum, etiam natura eos docuit, quia eiusmodi lacerationem in numero mediorum, quibus amissa Dei benevolentia possit iterum acquiri, ponunt. Praeter-ea etiam nequit probari, eos verae religionis cultoribus poenitentiam non debere. Et quid? quid illis fuit poenitentia? Forsan tristitia ob delicta tempore praeterito commissa? conf. MVSÆI *dissert. cir. s. XLIII.* Num autem ea dissensus, qui in nexu actionum hominis, immo omnium rerum, deprehenditur, etiam ex parte, tollitnr? Num moeror solatium adfert moerenti, quum Summum Numen sine satisfactione tam acti-

va, quam passiva nemini posse peccata condonare intelligimus?

PORRO haec quidem veritas rationi est perspecta. Summum Numen ex motiuis amoris agere. Num autem primo Deus amor vocari posset, si hominum delictis sine vila ignoraret satisfactione? Deus ipse se hanc amaret, sed necessariis, quibus fulget, perfectionibus suis omnino esset contrarius. Homines non amaret, quia se ipsum amat, sed se ipsum amaret, quia homines amaret, quo idea Summi Entis evertitur. Deinde ideam Summi Entis perfectionum postulare consensum, etiam haud ignorat ratio. Num autem amor & sapientia consentirent, si Deus hominibus nulla satisfactione permotus veniam delicti daret eosque effectu amoris adficeret? Bonitas non ita est in Deo, ut sanctitati aequa, ac iustitiae aduersari, vel tantummodo vni harum perfectionum aliquid derogare possit. His enim pro certis & concessis positis Deus a nemine meritas sumere poenas, neque vltor improbitatis animaduertendae, neque priuationis gloriae fuse relativae esse potest punitor. Licet autem haec ita sint comparata, ut nulla disputatione egeant: absit tamen, ut bonitatem a sanctitate & iustitia Dei separemus, ut potius eam cum hisce perfectionibus coniungendam statuamus. Etenim finge, nulla diuinum Numen inclinatione gaudere, quae statum hominum tantis ornat perfectionibus, quantis ornari potest & simul ei sanctitatis laudem atque iustitiae gloriam nequaquam esse tribuendam concedatur necesse est: quid? in hoc casu nulla est causa, quamobrem animum beatitatis spe confirmemus. Sed redeo ad propositum.

SI autem in numero rationis conclusionum sacrificia ponunt, turpem errant errorem & rationem commemorant, quam, ut etiam cum aliis iudicat D. IO. GEORG. WALCHIVS in  
lexic.

*lexic. philos. voc. Natural. p. 20 ICCCCCLXX, nescit atque ex se promere nequit ratio. Hinc illud, quod graue iudicant, argumentum Naturalistis vituperationi potius, quam laudi est, propterea quod omnia ratione metiri, neque ab ea discedere volunt, neque in hac opinione defendenda deflectere possunt.*

QVID igitur est, quod possit eorum cogitationes a Seruatore nostro auocare: a Seruatore, qui salutis nostrae & in columbiae caussam in se suscepit &, quidquid fuit oneris, sustinendum putauit, ut malum a nobis depelleret nosque sanguine suo ab omni peccato emundaret: ob trecentiones Spiritus contaminati & inuidias prosterneret: e faucibus quasi huius criminatoris nos eriperet: ex alienissimis animis amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderet: fractos poenarum expectatione homines ac debilitatos confirmaret & confirmatos denique ad supremam Supremi Numinis benevolentiam traduceret? Quid est, quod eis impedimento esse posse, quo minus non obligationis solum praestandae miram imbecillitatem, sed summae etiam miseriae liberationem eiusque necessitatem intelligent atque incredibili amoris Christi desiderio ardentes infinitae, quam ad finem perduxit, satisfactioni fidem habeant & in Seruatore omnino confidentiam ponant?

POSITVM quidem est in cuiuslibet hominis libertate, vtrum liberalissimum, quod ei ostenditur, minime vero obtruditur, bonum amplecti velit, nec ne? Noli autem putare, nullam adesse obligationem, quae te ad accipendum hocce beneficium, quod est magnificentissimum, vocare animumque tuum facere possit alacriorem. Quum enim & legem seruare & poenas subire te oporteat, etiam tanto magis firmissimum Seruatoris praefidium plane abiectus tibi adquiras necesse est, quanto magis neque primum, neque ultimum a te praestari posse intelligis.

30 DISSERT. EPISTOLARIS GRATULATORIA

EANT autem, qui Seruatoris perpetuam pro ornamentis imaginis diuinae propugnationem hominibus conducere negant, meritum Christi adsensu comprobare atque fidem vitamque, quam vocant, spiritualem eligere nolunt. Eant, qui aliam vitae rationem, praeter illam, arripere recusant, quam rationes rationis, ut dicitur, sanae mouentes postulant.

VERITATI quam libentissime largior, actiones rationi respondentes Deo placere, haut nescius, consensum cum lege non esse dissensum: vereor autem, ut hac sententia tuam confirmare, contrariam refutare atque conuellere possis. Dignae sunt actiones auctoritate & consilio rationis susceptae, quae ad bonas accedant, quippe quas Deus aequa praecepit, ac quae ex fidei praestantia oriuntur. Illae vero eo minus Summum Numen delectant, quo magis a lege discedunt ac ex imperfecta voluntate efficaci proficiuntur. E contrario hae eo magis ab eo adprobantur, quo minus perfecta carent Christi satisfactione.

HINC isti rationi potius, quam alii, obediunt, qui fidelissimis & amantissimis scripturae diuinioris consiliis obtemperantes ad Christum accedunt atque ab hoc salutis principe & auctore auxilium petunt, ut eos suscipiat, susceptos defendat, defensores imaginis diuinae insignibus, quibus egent, augeat. His pro certis etiam positis isti, qui Seruatoris beneficio vtuntur, optimis abundant perfectionibus, ex quarum cognitione non voluptatem modo percipiunt, verum etiam gaudium. Atque quum perfectiones, quibus gaudent, admirandas numquam in hac vita amittere possint, dummodo in Iesu Deo viuant, etiam gaudium illis deesse nequit. Quia autem statutus gaudii duratione conspicuus nomine felicitatis venit, felicitate quoque fruuntur, quae eo maiora capit incrementa, quo maiores sunt, quibus in dies honestantur atque ornantur,

perfe-

perfectiones. Hanc ob caussam spem habent exploratam, vel potius perspiciunt, fore, vt vitae aeternae gloria adfecti ad summam, quam capere possunt, felicitatem perueniant.

NON tenebo TE pluribus, VIR MAXIME REVERENDE! praesertim quum satis multa & plura forsan, quam necesse fuit, scripsierim. Iusta autem me defendit excusatio, dum mihi gratulari possim, TVAM erga me benevolentiam atque amoris in Filium TVVM abundantiam litteras fecisse longiores. Ad haec si hancce epistolam, quotidianis verbis conscriptam, ab optimo TIBI que deditissimo animo litteris esse mandatam iudices, magna me adfeceris laetitia. De cetero me TVO fauori quam diligentissime commendando, ac

VIR MAXIME REVERENDE,  
AMPLISSIME ATQVE DOCTISSIME!  
TVI AMPLISSIMI NOMINIS

Dab. in Academ. FRIDERICIANA  
d. XII, Sept. anni 10ccxxxvi,

*obseruantissimus cultor*  
**IOAN. GUILIELM LANGE**

# THE MAXIM RIVER INDIANS

AMPLISSIME ATQVE DOCUMENTISIME

## IV. AMPLISSIMI NOMINA

## **DEPARTMENT OF THE INTERIOR**

JOAN GAVIETE LANA

Jg 6179

ULB Halle

002 675 65X

3



Art.

AN

5

Dix



OBSERVATIONES THEOLOGICAE

*Z*

**DE IMAGINE DEI**  
**PER CHRISTVM**  
**RESTITVTA,**

*QVAS*  
METHODO NATVRALI  
EXHIBET

**DANIEL GOTTLIEB KRÜGER,**  
TEMPLINO VKROMARCH.  
PH. ET SS. THEOL. C.

EPISTOLAREM DISSERTATIONEM GRATVLATORIAM

*DE*  
**NATVRALISTARVM**  
**IN HAC DOCTRINA**  
**ERRORE**

*ADIECIT*  
**IOAN. GVILIELM LANGE,**  
LIPPSTADIENS.  
PHIL. ET SS. THEOL. C. ET SOCIETATI LATINAÉ,  
QVAE IENAE FLORET, ADSCRIPTVS.

HALAE MAGDEB.  
LITTERIS HENDELIANIS.  
MDCCXXXVI.